

- ¹¹ **H**æc dicit Dóminus Deus:
«Ecce ego ipse requíram oves meas et visitábo eas.
- ¹² Sicut vísitat pastor gregem suum in die,
quando fúerit in médio óvium suárum dissipátarum,
sic visitábo oves meas
et liberábo eas de ómnibus locis,
in quibus dispérsæ fúerant
in die nubis et calígini.
- ¹³ Et edúcam eas de pópulis
et congregábo eas de terris
et indúcam eas in terram suam
et pascam eas in móntibus Israel,
in rivis et in cunctis sédibus terræ.
- ¹⁴ In páscuis ubérrimis pascam eas,
et in móntibus excélsis Israel erunt páscua eárum;
ibi requiéscent in herbis viréntibus
et in páscuis pínguibus pascéntur super montes Israel.
- ¹⁵ Ego pascam oves meas
et ego eas accubáre fáciam,
dicit Dóminus Deus.
- ¹⁶ Quod períerat, requíram
et, quod eiéctum erat, redúcam
et, quod confráctum fúerat, alligábo
et, quod infirmum erat, consolidábo
et, quod pingue et forte, custódiam
et pascam illas in iudício».

Verbum Dómini.